

www.e-rara.ch

Fortunii Liceti Genuensis... De mundi & hominis analogia

Liceti, Fortunio

Utini [Udine], 1635

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: online

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-7369>

[Cap. XXXI. - XXXIX.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

o 2. rhet.
cap. 12.

p 2. rhet.

c. 14.

q 2. rhet.

c. 13.

re libidinis, & iræ plurimum astuantes, ut ait Aristoteles: ut autumno maturescunt fructus plurimi; sic in ætate virili temperatis excessibus vitiorum omnium, virtutes edunt maturos fructus p honestarum actionum: ut que hyemis algore torpet; ita senum animus q metu concutitur, ac stupet iners.

In Mundo ut in Homine spectari quamdam risus imaginem. Cap. XXXI.



Nter anni tempora, Vernum dicitur esse, in quo prata ridet: etiam si vero proprietatem Hominis maxime propriam esse risum, siue risibilitatem, ut aiunt Scholæ, nouimus omnes; adeoque ut a Porphy-

a cap. de
propr.

rius admonet omni, soli, & semper Homini conuenire; hoc tamen non impedit quominus eius affectionis quamdam imaginem etiam in Mundo spectemus; de qua pulchre Puteanus noster ad Floritium b ita, In meliori vultu nisi risus est, venustas velut nube obsidetur: quum suauissima ætas est, ridet: quum pulcherrimus annus, ridet: quum sine face Cælum, ridet: ubique Humanum hunc affectum Natura usurpat, ut decorem augeat; aut certe facit Homo quod Natura, tamquam rideat, quum serenus est, & a curis rerum atque tempestatibus animum separauit. Cæterum ut in Homine passionis huius origo, &

de orat.

natura non ita patent; nam eas c Cicero falsus est igne nue seignorare, dum ait, Quo pacto concitetur risus, q omodo existat, atque ita repente erumpat, viderit Democritus. Qui claro magni senis d Hippocratis testimonio sapientissimus in omnium rerum inspectione contemplatione que risum inueniens, & aperte proferens, aperte damna- tam illam Atticam, quam e Aelianus asserit percrebuisse, ne ridendi quidem potestatem in Academia prius fuisse: nam ab inu-

epist.

3. var.

hist. c. 35.

ria & ignavia, animive dissolutione puram & inaccessum hunc locum
 servare conabantur. Etenim & Gratia Musis, & Sapientiae
 iunctae ridere dicuntur, & Caelum ridere; a quibus om-
 nis abest iniuria, ignavia, & animi dissolutio. Gaudium
 certe nemo sapienti eripit, ait Musarum f. delictum sed gau- f. Putean.
 dii fructus risus est, quemadmodum & doloris lacrymae: si fructum
 proseribimus, cur arborem toleramus? Ridere licuit ergo De-
 mocrito, sapientique viro, vel in Academia: sed dum ri-
 sum ex Academia pellunt, Hominem ab ea depellunt,
 cui a natura penitus insita est ridendi facultas, & ad hunc
 affectum intima propensio. Quin & eum locum inac-
 cessum rationi voluerunt, dum eo risum peruenire non
 permiserunt; quia risus omnis a ratione funditur. *Risit*
 & Democritus, & hoc egit; quem nemo tamen sapientia, aut gravita- g. Put.
 tis laude spoliavit: Immo sapiens ideo Democritus, quia risit: sic do-
 cuit, sic disseruit, sic philosophatus est: Tolle risum, & Democritus
 non erit: iterum, tolle risum, & praestantissimum sapientia lumen ex-
 tingues. Plus scripserit, an riserit, dubites; & utro amplius huma-
 no generi profuerit. Democritum omnia ridentem, sem-
 perque ridentem Aristoteles ipse supra veteres omnes
 Philosophos laudibus extulit ad sidera, dum ait, *De* A. de gen.
 mocritum solum omnia curasse. Certe ut in Homine f. 5.
 i. Risus a gaudio: gaudium ab eo quod incundum est: nam quoties g. Put.
 suavis pectus imbuat, Cor se laxat, & incundo fervore hilaritatem
 exprimit: Animi motum vultus indicat, cum agitatione viscerum,
 thoracis adeoque oris muscoli tenduntur. Quam suaviter Natura
 ludat, ignorare nemo potest, nisi cui cornea fibra est. Sic omnes
 norunt, a pacata coelestis Mundi constitutione in asteris-
 mis, pacatam constitutionem in elementario Mundo gi-
 gni; quod & omnis huius Mundi virtus inde guberne- k. i. meteo.
 tur, Aristotelis observatu: pacata vero utriusque Mun- su. i. cap. 2.
 di constitutio simile quid est gaudio; unde serenitas, &
 tranquillitas, lenisque motus omnium nostratum, qui

metaphoricus Mundi risus est. Vt hinc etiam pateat non obscura Mundi cum Homine similitudo, quod uterque consimilem affectionem sustineat, quam in Homine risum appellamus nomine proprio, in Mundo saltem per translationem risum nuncupamus.

Mundum, & Hominem quoquo pacto communicare in operationibus intellectus, ac voluntatis.

Cap. XXXII.



Ost affectiones, quæ plerumque determinant, ac disponunt ea, quibus insunt, ad proprias operationes obeundas, considerandæ sunt Hominis, & Mundi functiones. Porro quum Homo simul sit vegetans, & animal, & Homo; vt docuit nos

a Aristoteles; propterea cunctas habet vitæ functiones; etenim vita distributa est omnis in vegetalem, & rationalem, siue intellectualem. Immo quum vita diuisa sit omnis ab *b* Aristotele in intellectricem, sensu-
a 2. de gen. an. cap. 3. trice, motricem, statariam, augmentatiuam, dimi-
b 2. de an. 3. 3. nutiuam, addas & generatiuam: iam videamus an sit
 Mundi quæpiam cognatio cum Homine pariter in huiusmodi vitæ functionibus; quæ repugnante nemine reperiuntur omnes in Homine. Atque vt ab hoc ordine Aristotelico non discedamus, qui progreditur a notioribus: quod attinet ad operationes rationales internas, quæ duæ sunt, Intelligere, ac Velle; vt vnique certum esse potest ex ijs, quæ fuscè differuimus in opere De Vita, Rationalis, seu intellectricis animæ functiones internas duplicis esse generis; alias nimirum a voluntate pro-
 dire, alias ab intellectu; quæ duæ sunt omnes facultates animæ rationalis; adeoque generatim duas esse supre-
 mas

De Mundi, & Hominis Analogia. 157.

nis operationes internas animæ rationalis in Homine,
 Intelligere, ac Velle; licet hæ singulæ subdiuidantur in
 plures alias minores species; vt eo loci probauimus. Ita
 sane Mundum pollere duplici hoc functionum genere,
 confirmari potest ex Platone, Aristotele, ac ex rei natu-
 ra: ex Platone quidem, qui definit in Timæo, Mundum
 esse animal intelligens. Diuina prouidentia constitu-
 tum; prouidentia siquidem est habitus voluntatis, cuius
 natura est ad bonum tendere; vt prudentia est habitus
 intellectus. Ex Aristotele vero, qui definit e Mun-
 dum esse ordinem, & digestionem vniuersorum, quæ a
 Deo, & per Deum asseruantur: & alibi *f* decernit, Na-
 turam Vniuersi habere ipsum bonum, & ipsum optimum
 maxime in summo Deo, qui veluti Dux exercitus, &
 vnus *g* Princeps ciuitatis omnia optime gubernat: &
 multo prius *b* asserit, Deum, vt causa & principium re-
 rum omnium, maxime pollere intelligentia; & esse in
 tota natura rerum, vt intellectus est in animalibus ratio-
 nalibus; & alio in loco statuit, *k* Vniuersi animam esse
 intellectum; *l* Deumque non ociari, sed operari; &
 illius operationem esse maxime intellectionem; & *m* cu-
 ram, gubernationemque Vniuersi: ac demum alibi,
n Neque eas meditationes solum esse actiuas, quæ gratia eorum sunt,
 quæ ex agendo proueniunt; sed multo magis quæ in seipsis perfecta
 sunt, ac suis ipsarum gratia sunt, contemplationes & meditationes;
 bene agere enim finis est; quare & actio quadam; maxime autem
 proprie dicimus agere etiam externis actionibus eos, qui intelligentia
 & cogitatione operibus præsent, architecti: Quinimmo neque sine
 actione esse necessarium est eas ciuitates, quæ posita sunt in solitudine,
 & ita vivere eligentes; fieri enim potest, vt partibus inter se agere
 contingat: multæ enim communicationes ad inuicem sunt partibus
 ciuitatis. Similiter autem hoc existit unicuique homini: vix enim
 Deus bene se haberet, & Mundus totus, quibus non sunt actiones ex-

d 6. ethic.

c 3. & 5.

e de mund.

cap. 2.

f 12. meta.

t 52.

g 12. meta.

t 56.

b 1. meta.

su. 1. cap. 2.

i 1. meta.

su. 2. cap. 2.

k 1. de an.

t 46.

l 10. ethic.

cap. 8.

m 10. ethic.

cap. 7.

n 7. polit.

cap. 3.

eterna

terna præter proprias ipsorum. Quod igitur necessarium sit, eam-
dem esse vitam optimam priuatim unicuique hominum, & publice
civitatis, & hominibus manifestum est. Si ergo Mundus to-
tus habet operationem propriam; quum & Aristoteli
sit *to* intelligere; quin & eligere, vt alibi p probaui-
mus; iam necessarium est, Mundum cum Homine com-
municare in functione intelligendi, ac eligendi: Sique
Mundus habet actionem propriam; quum actionis cu-
iusque principium q Aristoteli sit electio, atque volun-
tas, dubio procul asserendum est, Mundo cum Homine
communione intercedere functionis a voluntate pro-
deuntis.

a 1. de an.

t. 12.

3. de ar.

t. 6.

p 3. de im.

an. c. 18. &

segg. pas-

sini.

q 1. mag.

mor. c. 10.

*Mundo, & Homini proportio num insit in
locutione. Cap. XXXIII.*

Rater internas operationes proprias Ho-
minis, quæ sunt eligere, ac intelligere,
functionem externam habet Homo pro-
priam, quæ sermo dicitur, & locutio, de
qua fusc nos egimus in opere De a Vita,
ostendentes eam esse propriam hominis,
non autem communem brutis, nec idolis, nec animis a
corpore separatis, etsi pleraque horum loqui videan-
tur; videndum nunc est an Mundo quomodocumque
sermo locutioque conueniat: sane passim sacra pagina
loquentem inducit terram, & cælum, quæ sunt Mundi
partes præcipuæ; quin & singulas Mundi partes Deum
laudantes, ac c benedicentes inuocat: Plotinus etiam
inducit Mundum loquentem, inquiens, d Quoniam vero
quod factum est, Mundus simul est totus, si mentis aures ad hunc con-
uertere libeat, forsan audies ita clamantem: Me procul dubio fecit
Deus, atque ego inde factus sum perfectus ex cunctis animalibus con-

a lib. 3.

cap. 24.

b Psal. 148.

c Daniel.

cap. 3.

d en. 3. 12.

cap. 3.

Audent, mihi ipsi sufficiens, mihi penitus satisfaciens nullius indigus;
 quoniam omnia sunt in me animalia simul atque planta, cunctorum
 natura generalium. Dis quamplurimi, Demonum populi, bonorum
 exercitus animorum, homines virtute felices, &c. Quem locum
 Ficinus explicans ait, e Notabis interea ubi Mundus loqui sin- in com.
 gatur; quando quidem sunt in infimo globo Mundi multa viventium
 generasse quoque superne multa per totum prodignitate, & ampli-
 tudine spacii virtute magnitudineque ingentia, quorum prima Deos
 nominat, sequentia Demones, tertia particulares animas, qua trans-
 feruntur in Demones; & ubi ponit populos Demonum, ostendit per
 totum supranos mundum greges esse Demonum distributos, habere-
 que Duces suos, &c. Ceterum hic sermo metaphoricus est,
 cuiusmodi locutione donantur etiam Angeli; sed ta-
 men hac metaphora non prohibemur quin Hominem
 cum Mundo comparare valeamus, & utrique commu-
 nem utrumque sermonem ac locutionem dicere possi-
 mus; etenim & hac ratione legimus apud ^f Apostolum Pau. 1.
Cor. c. 13.
 Homines cum Angelis comparatos, ait enim, *Si linguis*
Hominum loquar, & Angelorum. Quia & Deum frequen-
 tissime loquentem inducit sacra pagina; sed praefer-
 ram quum a Ioanne dum baptizaretur Dominus, ^b *Vox*
^a facta est de celo, *Tu es filius meus dilectus, in te complacui*; quae
 similiter i facta est de nube, dum Dominus transfigura-
 retur in monte Tabor. Sed Aristoteli Deus est forma
 & Uniuersi, ac velut anima Mundi: quare Mundo con-
 uenit utrumque sermo, & locutio; quam ideo functio-
 nem analogia quadam Homini, & Mundo communem
 esse statuimus. g Genes. 1.
& seqq.
h Marc. c. 1
Mat. 3. &
Luc. 3.
i Luc. c. 9.
Ioan. 1.
k 1. meta.
su. 2. cap. 2.
12. meta.
t. 49.

Mundus an habeat analogiam cum Homine in fun-
 ctione sentiendi. Cap. XXXIV.

Non defuerunt inter antiquos, & recentiores Phi-
 losophos, qui sensum Mundo tribuerint; etenim
 Py-

2. de plac.
cap 9.

2 lib. 1. cap.
19.

Pythagorici; quod asserit Plutarchus, extra Mundum esse ponunt inane; in quod, & e quo Mundus respiret: quum respiratio viuentibus data sit a natura non nisi ad temperandum æstum internum; æstus autem, ac refrigeratio sensu tactus percipiatur. Alij stellas nihil esse nisi mundi oculos dixerunt. Solem Homerus ait omnia audire, & omnia videre. Sed e recentioribus ausi nonnulli sunt cælo, proindeque Mundo sensum internum dare, phantasiam scilicet, ac vt ipsi dicunt cogitativam ab intellectu distinctam: Coelius b Rhodiginus hanc opinionem e Platonice colligit inquires, *Liber parte hac cum Platonice confabulari: in quorum sacrarijs quum alia pleraque non absque admiratione sæpius lectitamus, tum id quod subnotabo statim, Mundum, quum sit animatus, sentire, ac per amplissimam spheram præcipue, veluti per oculum intus omnia contueri: nam si nos per oculum nostrum, quoniam sit animatus, & diaphanus, & lucidus, multa perspicimus, & radio etiamnum in sublime surrecto, cælestia apprehendimus: Cur non inquirunt, mundi celestis oculus, viuis & perspicuus, lucidus, radiosque suos in omnia propagans, itidem sensibilibus concipiat modum? Amplius mundi globos, stellas sensu item non carere asserunt constantissimos, quoniam vt Plotinus astruat, vota cognoscant nostra, exaudiant quoque. Celestibus inest quidem visus, specie tamen ab nostro diuersus, verum in eo non diuersus, quia viuit: perspicuus item est, atque lucidus. Auditum item prædita sunt, sed nostro dissimili. Inter omnia quæ ambitu cæli clusa continentur, viget communio quædam, & veluti nexus: cuius quinque videntur rationes: prima est, omnium materia vna: inde, qualitatum concordia; mox, spiritus ubique vnus; nam sicuti cælum vnus est spiritus in excelsis, pariter intra cælum vnus itidem spiritus, vel celestis omnino, vel cælo simillimus, omnibus est infusus, nostro consimilis: quartum habet locum natura genitalis vna, fouens omnia per spiritum mutuo copulata: quintum postremo, mundi anima, omnibus connexa. Sed cur non & terram, inquit Plotinus, sentire dicamus? Obstat vero nihil, terram,*

ram esse sensu praditam, ut humana commodius, rectiusque dispen-
set, quæ eius sunt muneris. Certe nil admodum impedimento esse po-
tèst, quin preces audiat adnuatque, nec tamen ea, qua solemus ipsi, ra-
tione: neque enim cuncta animantia sensorijs sunt eisdem communita;
nam & quadam aures habere non nouimus, nouimus autem tonos ab
ijs concipi. Plotini verba sunt, c Postrema quidem vis anima
a terra exordiens, se se fundit per vniuersum: vis autem anima sen-
sualis, & quæ opinantem possidet rationem, penes superiora viget in
sphaeris, incubans inferiori potentia, atque ex seipsa vim huic porri-
gens vitalem magis atque viuificam. Quem locum sic expli-
cat Ficinus, d Anima prima in mundo tanquam animal suo re-
gnans, vitalem quidem virtutem a centro velut corde per totum pro-
pagare videtur, sensualem vero motricemque a sphaeris superioribus
velut a capite inchoans ceteris inde communicare. Consimiliter
alibi Plotinus ait, e Non solum terram, & stellas, sed
etiam Mundum totum præditum esse sensu; quod ibi-
dem Ficinus explicat, inquiens, Quam animam corpori
coniunctam necessario consequatur sensus, anima sphaerarum, stella-
rum, mundi sentiunt. Mundus sentit per aliam sui partem, vicissim
partem aliam: item per totum partes & mox. Anima sphaerarum,
stellarumque, & anima mundi, humana vident atque audiunt: sed in-
terim talia se sentire minime sentiunt; quoniam imaginatio, ad quanti-
talis imaginatio pertinet, intensissima semper est ad intelligentiarum
notas in se figendas. Et si sentire se nostra forsân non animaduert-
tunt, tamen precantibus benefaciunt; qualicumque sensu, & occulto
quodam naturæ consensu. Si ergo cum Platoniciis philoso-
phari velimus, intercedit etiam Mundo cum Homine
analogia, quod vterque sensibus præditus est; licet lon-
ge varia ratione Mundo, & Homini sensus ab ijs tribua-
tur; quod adnotat idem Plotinus inquiens, f Quumque
Mundus in tuto sit collocatus, ideoque minime perturbetur, merito
animam non perturbat. Quid ergo? nihilne sentit omnino? visum
quidem non habet Mundus, Timæus inquit; quoniam neque oculos:

c en. 2. lib.
2. c. 3.

d ibid. in
com.

e en. 4. lib.
4.

f en. 3. lib.
4. cap. 4.

X non

non habet auditum, ideoque nec aures, neque nares, neque linguam. Habetne igitur consensionem quamdam quodammodo quæ in seipso sunt percipientem, qualem in nobis nos experimur? At forsitan quum semper secundum naturam in eo cuncta se similiter habeant, quies in eo est quantum spectat ad sentiendum, neque voluptas inest. Adeest igitur & vegetale, quasi non adsit, & sensuale similiter. Sin autem cum Aristotele sentiendum sit, Quum animal in Peripato sensu præditum non sit sine g tactu; & omne tactuum sit ab exuperanti tangibili b corruptibile: qui Mundum ex Aristotele didicimus i incorruptibilem; confiteri debemus, a Mundi natura sensutricem animam, sentiendique functionem abesse; proinde Mundum cum Homine non communicare proprie in sensu: Quod tamen non detrahit culturæ nobis in hoc volumine Mundi cum Homine Analogiæ; siquidem sensus non conuenit Homini per se primo, ac secundum quod ipsum, seu qua Homo est; sed solum quatenus animal est; nam animal proprie per sensum k primo determinatur, vt ait Aristoteles.

Mundi, & Hominis analogia colligitur ex eo, quod utrisque conuenit eodem fere modo operatio motus. Cap. XXXV.



Ristoteli porro Mundus cum Homine miram habet proportionem in operatione a motus: licet enim motus absolute competat omni animali perfecto; nihilominus Homini propria quædam est motus species, quæ ab habitu virtutis, seu moralis, seu etiam intellectualis proficiscitur; ac plerumque Homo, seu scribens, seu loquens, seu ridens, seu multarum artium operationes exercens, immotus secundum totum mouet solum par-

g 2. de an.

t. 17.

b 2. de an.

t. 120. &

a 222.

i 4. meta.

t. 23.

k 2. de an.

t. 16.

a 8. phys.

t. 17.

partes, vt linguam, vel manum, vel aliam quampiam: quo modo Mundus etiam secundum totum permanet immotus, quum extra se locum non habeat, ad quem moueatur; assidue vero Mundi partes moueantur, cælorum orbis circa centrum gyrantes, & elementa fluxilia secum circumducentes; quorum leuia sursum motu proprio semper ascendunt, & grauia deorsum recto motu ad centrum semper descendunt. Sed hanc Mundi cum Homine proportionem in operatione motus nobis proposuit Aristoteles inquiens, *d* Quum in nobis nullus insit motus aliquando, & fit aliquando in nobis ex nobis ipsis principium motus, etsi nihil extrinsecus moueat: hoc enim in inanimatis similiter non videmus; sed semper mouet ipsa aliquid aliud eorum, quæ sunt extra; animal autem ipsum dicimus seipsum mouere: quare si quiescit aliquando penitus, in immobili motus utique fiet a seipso, & non ab externo: si autem in animali hoc possibile est fieri, quid prohibet idem hoc accidere & in Vniuerso? Si enim in paruo Mundo fit, & in magno: & si in Mundo, & in infinito; si contingit quidem moueri infinitum totum, & quiescere. scilicet quum Mundus moueatur ab interno principio gratia finis interni; solus homo potest & ab interno principio gratia finis interni moueri, quum inanimata omnia moueantur ab externo motore, & gratia finis extra se positi; cuius gratia quoque mouentur animalia bruta. quum homo moueri possit gratia finis interni, vt internam sibi sanitatem conseruet; quod admonet e Aristoteles; homo enim ambulat vt sanus conseruetur, quem finem sibi non proponunt in motu animalia bruta.

Mundi, & Hominis analogia in functione nutriendi consideratur. Cap. XXXVI.

Plutarchi a testimonio, Mundum alimento frui videtur censuisse Philolaus, & Plato; negauisse Aristoteles;

stoteles; etenim Plato ipsum Mundum sibi mutatione eorum,
 que intereunt, suppeditare nutrimentum: Philolaus, duplicem esse
 interitum, vnum igne calitus defluente; alterum Lunari aqua per re-
 volutionem aeris effusa; atque horum exhalationes esse alimentum
 Mundi: Aristoteles sic, si alitur Mundus, etiam peribit; at nullo indi-
 get nutrimento; est ergo sempiternus. Sed hac de re Magistrum
 audiamus in Meteoris consimilia scribentem, ^b Quapro-
 pter & deridendi sunt omnes, quicumque priorum existimauerunt
 Solem ali humido: & propter hoc quidam etiam aiunt facere versio-
 nes ipsum: non enim semper posse eadem loca exhibere alimentum: ne-
 cessarium autem esse hoc accidere circa ipsum, aut corrumpi: etenim
 manifestum, ignem, quamdiu habuerit alimentum, tamdiu viuere:
 humidum autem igni esse alimentum solum, tamquam pertingat
 usque ad Solem quod sursum ducitur humidi; aut ascensus talis sit,
 qualis quidem facta flamma, propter quam signum accipientes & de
 Sole putauerunt: hoc autem non est simile: Flamma enim propter con-
 tinuum humidum, & siccum, quae permutantur, fit, & non alitur;
 non enim eadem existens permanet ullo tempore, ut ita dicam: Circa
 Solem autem impossibile est hoc accidere; quoniam, si alitur quidem
 eodem modo, sicut illi quidem dicunt; palam quod & Sol non solum,
 sicut ait Heraclitus, nouus quotidie est, sed semper nouus continue.
 Adhuc autem quae a Sole fit eleuatio humidi, similis est calefactis
 aquis ab igne. Si igitur neque succensus alitur ignis, neque Solem par-
 erat existimare, etiam si omnem calefaciens euaporare fecerit aquam.
 Inconueniens autem & solum curasse de Sole, aliorum autem astrorum
 ipsos negligere salutem, tantorum & multitudine, & magnitudine
 existentium. Si ergo neque caelestia, neque ignis elemen-
 tum, adeoque nec vllum aliud elementum alitur, quae
 sunt partes Vniuersum integrantes; profecto nec Mun-
 dus nutriridicendus est; etenim viuientia nostratia nu-
 triuntur, quia singulae ipsorum particulae nutriuntur,
 a Aristotelis obseruatu. Verum etsi Mundi partes pro-
 prie non astantur; non tamen ideo tollitur Mundi, &

Ho-

2. meteo.
 6.2.

2. de an.
 1.40.

1. de gen.
 1.33. & seq.
 2. de an.
 1.14.

Hominis Analogia, quam in hoc opere colimus; tum
 quia nutritio non conuenit Homini secundum quod
 homo est, sed quatenus viuens est, ac vegetatiuus; nos
 autem hic Mundum comparamus cum Homine, non
 cum natura viuente, ac vegetatiua: tum quia non deest
 in proposito quoque aliqua inter Mundum, & Homi-
 nem similitudo, quoniam ignis, qui est vna partium in-
 tegrantium vniuersum, alitur quodammodo, saltem me-
 taphorice, vt vulgo, & antiquioribus concedit Aristote-
 les inquit, *e* Videtur autem quibusdam ignis natura simplici-
 ter causa nutritionis & augmentationis esse: etenim ipse videtur
 solus corporum, aut elementorum ali & augmentari: Vnde & in
 plantis, & in animalibus putabit utique quis hunc esse id quod ope-
 rat, *f* Hic autem concussa quidem quodammodo est, non tamen
 simpliciter causa, sed magis anima. Et alibi, *g* At vero ignis duas
 videmus corruptiones, marcescentiam, & extinctionem: vocamus autem
 eam quidem, quæ a seipso, marcescentiam; eam autem, quæ a contrariis,
 extinctionem: illam quidem senectutem, hanc autem violentiam:
 Accidit autem ambas propter idem fieri corruptiones; deficiente
 enim alimento, non potente calido accipere alimentum, corruptio fit
 ignis: contrarium enim cessare faciens concoctionem, prohibet nutri-
 ri. Quandoque autem marcescere accidit, quum amplior congrega-
 tur calor, & præuenit consumere, antequam adsit exhalatio: Quapro-
 pter non solum marcescit minor secus maiorem ignem, sed & ipsa per
 se lucerne flamma imposita in maiori flamma comburitur, sicut quod-
 cumque aliud vestibulum: Causa autem, quia alimentum quidem
 existens in flamma præoccupat prehendere maior flamma priusquam
 adueniat alterum. Sicut ergo Mundus proprie, ac per se
 totus non alitur, sed metaphorice tantum secundum
 aliquam sui partem, eam nimirum, quæ inter elementa-
 res est principalis, & appellatur ignis; immo vero secun-
 dum singulam, si credimus Anacreonti, cui

Facunda terra potat,

Hanc

Hanc arboresque potant,
 Et potat equor auras,
 Phæbusque potat equor,
 Ipsumque Luna Phæbum:
 Quid ergo vos sodales
 Potare me vetatis?

b 2. de an.
 t. 28.

1. phy.

t. 4. 1. 1.

est autem potus obiectum sitis, quæ definitur esse appetitus *b* alimenti frigidi & humidum: Sic plane tota species Humana per se ac secundum quod ipsa non alitur; etenim ali non conuenit Homini qua homo est; soli namque conueniret homini; sed quatenus viuens est: & humanæ speciei quædam partes (indiuia namque speciei partes sunt Aristoteli, cui *i* omne vniuersale totum quoddam est, quod multa comprehendit, vt partes) aluntur, quædam non aluntur, sed viuunt diu sine alimento: de quibus nos olim dedita opera satis grande volumen edidimus.

Mundi, & Hominis analogia spectatur in operatione augmenti, & decrementi.

Cap. XXXVII.

a 2. de an.
 t. 3. 13. 14.
 37. & seqq.
 b 2. de an.
 t. 41.



Nter viuentium operationes *a* frequenter Aristoteles enumerat, *b* nutritui proximæ, ac tantum non easdem, augmentum, ac decrementum; siquidem conuersio nutrimenti, vt substantia est, in naturam viuentis, alio nuncupatur; eiusdem autem alimenti eadem conuersio in eandem animati naturam, vt est substantia quanta, dicitur auctio, & diminutio; nam auctio est conuersio maioris alimenti in naturam viuentem, quam sit ea portio, quæ a viuentis corpore defluerit; diminutio est conuersio minoris alimenti in naturam vi-

viuientis, quam sit ea substantia, quæ ab animantis cor-
 pore defluerit: Propterea, quæ nuper de nutritio-
 ne diximus in analogia Mundi, & Hominis, eadem pla-
 ne de augmento, & decremento dicenda videntur: sci-
 licet vt augmentum & decrementum non conueniunt
 Homini secundum quod homo, ac per se primo; non
 enim solus homo potest augeri, ac minui: sic Mundo
 proprie non competit auctio, nec diminutio; quoniam
 c extra se locum non habet, in quem augeatur; nec
 d vacuum in natura toleratur; siquidem e Aristoteli,
 quod augmentatur, & diminuitur, necessario transmu-
 ratur secundum locum; nam particulæ illius, quod auge-
 tur, omnes mouentur ad ampliorem locum; ad mino-
 rem vicissim partes eius, quod diminuitur. Neque di-
 minutio Mundo conuenit, quoniam eo decrecente, re-
 linqueretur extra Mundum locus f vacuus, quem natu-
 ra nec ibi, nec g alibi patitur. Præterea vero augmen-
 tum & decrementum sunt operationes animæ h vege-
 tantis, qua non animatur, nec viuit vniuersum, sed sola
 i intellectrice, vt ait Aristoteles. Deinde vt Homini
 competit augmentum, & decrementum, si non secun-
 dum totum per se primo, sed secundum partes; etenim
 Aristoteles ait, k Si sciendum autem causam, quam determi-
 nauimus primum, vnum quidem, quod ea, quæ sunt dissimilium par-
 tium augentur, quia ea quæ sunt consimilium partium augentur, com-
 ponitur enim ex his vnumquodque &c. Ita Mundo competit
 augmentum, & decrementum, non ratione totius, sed
 ratione suarum partium, nimirum elementarium, ac spe-
 ciatim ignis, qui dicitur l augeri combustibili. Deinceps
 vt Homini competit augmentum, ac decrementum, non
 proprie qua homo est, sed qua vegetabile viuens est; ita
 Mundi partes non proprie, sed metaphorice augeri di-
 cuntur. Denique vero vt Homo non secundum om-
 nia

c 1. cæl.
 t. 100.
 d 4. phy. t.
 60. & seqq.
 e 1. de gen.
 t. 25.

f 1. cæl.
 t. 100.
 g 4. phy.
 t. 60.
 h 2. de an.
 t. 13. 34.
 i 1. de an.
 t. 46.
 j. meta. sup.
 2. c. 2.
 12. meta.
 t. 49.
 k 1. de gen.
 t. 35.

l 2. de an.
 t. 41.

nia sua indiuidua crescit, atque decrescit, verum secundum aliqua tantum; nam & in ætate consistenti, & sine alimento plerique diu vitam agentes nec augentur, nec minuuntur; ita Mundi partes æthereæ sine augmento & decremento viuunt; quum elementa Mundi partes aliæ, ac potissimum ignis augeatur, ac diminuatur; quod Aristoteles confitetur aperte tum vbi scribit, *m* Idem accidit & his irrationabile, & dicentibus primo humida existente terra, & Mundo, qui est circa terram, a Sole calefacto, aerem factum esse, & totum Cælum augmentatum, & hoc flatus exhibere, & versiones ipsius facere. Sic ergo partes ætheris Aristoteli non augentur, nec minuuntur: tum vbi dicit, *n* Ignis enim augmentum in infinitum abit, quousque fuerit combustibile. Sic igitur partes Mundi subcælestes augentur, & minuuntur; quod vulgo dici consuevit, æstate quidem augeri aerem & ignem; ac vicissim diminui terram & aquam, calore solis inferna hæc elementa dissolvente magna ex parte in halitus, qui conuertuntur in aerem partim, partimque in ignem: hyeme vero terram augeri & aquam, aere ob frigus ambientis in aquam densato, & aquæ partibus crassioribus ab eodem frigore coactis in terram. Quare nec deest inter Mundum, & Hominem analogia penes augmentum, & decrementum.

Mundi, & Hominis analogia consideratur in operatione generandi, procreandique sobolem.

Cap: XXXVIII.

a 2. phys.
t. 13. 26.
b 2. de an.
t. 34.
c lib. 1. cap.
25.



Hominem inter alias vitæ functiones, habere generationem prolis sibi similis in specie, nouum non est: hanc autem operationem hominibus inesse ab anima *b* vegetali, gubernata tamen a sentiente, & rationali, dudum a nobis in opere De *c* Vita, & in

volumine a De his qui diu viuunt sine alimento comprobatum est: Hominem vero tali functione quandoque monstra procreare, alias non egressum suae speciei commisionem, alias etiam nefaria Venere brutorum speciei cuiusdam commisto semine, multiplici e nobis obferuatione compertum est. Mundum pariter aliqua ratione vim & operationem procreandi res obtinere, vultatissimum est; adeoque Mundum cum Homine in proposito quoque proportionem habere, probabile satis est; Mundus enim subcaelestis, quem Aristoteles etiam agnouit ortui & interitui iugiter s obnoxium, fit a Mundo caelesti, gubernante, & o generante cuncta subcaelestia; quod Aristoteles aperte docuit his notis, g Quoniam determinatum est prius a nobis, vnum quidem principium corporum, ex quibus constat circulariter latorum corporum natura; alia autem quatuor corpora, propter quatuor principia, quorum duplicem esse dicimus motum, hunc quidem a medio, illum autem ad medium: quatuor autem existentibus his, igne, & aere, & aqua, & terra; omnibus quidem his supereminens, esse ignem; substans autem, terram; duo autem, quae ad ipsa his proportionabiliter se habent: aer enim igni est propinquior, quam alia; aqua autem terra: qui itaque circa terram est totus Mundus ex his constat corporibus, de quo accidentes passionnes dicimus esse sumendum. Est autem ex necessitate continuus quodammodo iste superioribus lationibus, ut omnis ipsius virtus inde gubernetur: Vnde enim motus principium omnibus inest, illam causam putandum primam. Verum non solum Mundi fructus, ac partus sunt elementa; sed etiam mista omnia, tam inanima, quam animata; quod pulchre cecinit Virgilius, & ante Virgilium sapienter docuit Aristoteles; ille quidem inquiringens,

Principio calum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra
Spiritus intus alit; totamque infusa per artus

Y

Mens

d lib. 2. cap. 199.

e 2. de mō-
str. cap. 68.
& seqq.f 4. meta-
t. 13.g 1. meteor.
c. 2.

h 6. Eneid.

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum.

Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.

Ignæus est ollis vigor, & celestis origo,

Seminibus.

f. r. cæl.
t. 100.

k. r. meteo.
c. 1.

hic autem afferens, i. A natura Cæli, ac Mundi diuina, & immortalibus alijs omnibus pendere esse, ac viuere, his quidem exactius; his autem obscurius. Cæterum ut inter ea, quæ Mundi euentus, effectusque sunt, elementa, plantæ, ac animalia, ceu partus naturales ac legitimi, suo genitori utcumque similes in specie, numerari possunt; ita sane Meteorologica, quæ ab Aristotele dicuntur fieri fere per accidens, seu Mundo accidere secundum inordinationem naturam Cæli, & Vniuersi; veluti monstra Mundi censerī debent. Quamobrem hac etiam ratione cognationem Hominis cum Mundo cognoscimus; quoniam vterque procreatrice vi pollet, ac suæ productionis operatione aliquando perfectas naturas generat, sibi quæ consimiles utcumque, primario instituto; aliquando monstrosas essentias conficit præter ordinem naturæ, seu secundario quodam instituto, siue per accidens, ac velut ex necessitate materiæ.

Peroratio totius operis. Cap. XXXIX.



Ta nos de Mundi, & Hominis Analogia; quam etsi alij tum Physici, tum Chymici coluerint; eorum tamen placita commode referri poterunt ad superiora theoremata; quibus ostensum est inesse miram Homini cum Mundo proportionem; quod vterque similitudinem obtineat in nominibus, in causâ finali, in effectrice, in formali, in materiali, in modo productionis, & originis,

nis, in constitutione coagmentationeque, in essentia, in
duratione, in vnitate, in finitate molis, in figura, in loci
positionibus ac differentiis, in eo quod vterque est ima-
go Dei, effigie Panis pingitur, in Hominis simulacro, in
partibus integralibus, in partibus essentialibus, in cha-
ragmate Mundi intelligibilis, in anguis imagine, in ludo
Dei, in templo Numinis representando; in eo quod
vterque comparatur domui, Ciuitati, siue Reipublicæ,
carceri, ac speluncæ, Prouinciæ, exercitui, curru, in ha-
bitudine partium ad inuicem, & ad totum, in habitudine
ad anni tempora, in risu, in operationibus intellectus, &
voluntatis, in locutione, in functione sentiendi, in motu,
in operatione nutriendi, in augmento & decremento, &
in functione generandi, procreandique sobolem. Quæ
theoremata vt succisuius horis veluti lufimus, ita lecto-
ribus æquioris iudicij proponimus; ac S. R. E. censura
subijcimus, nullum eorum approbantes, nisi quod sacris
canonibus approbatum fuerit. Laus Deo O. M. Diuæ-
que Mariæ Magdalenzæ, in cuius festiuitatē contempla-
tionem hanc terminauimus Patauij MDC XXXIII.